

**VIGESIMA NONA DIES.
DE S. OLAVO, REGE ET MARTYRE,
NIDROSIAE IN NORVEGIA.
APPENDIX MIRACULORUM S. OLAVI
REGIS AC MARTYRIS.**

Ex variis monumentis.

[Sacerdos crudeliter mutilatus,] Præter miracula tum ex Vita Ms. Bodecensi modo, tum aliunde in Commentario prævio recensita, nonnulla commemorantur alia; quæ, ne quid neglectum videri possit etiam in hac parte, subjungimus. In Breviario Nidrosiensi, apud Torfæum citatum descripto, inter ea, quæ cum Ms. Bodecensi habet communia, hæc insuper admiscentur: Erant duo viri fratres; & hi genere præclari, abundantes in seculo obtinuerunt divitias. Illis erat soror, secundum carnis superficiem pulcra; sed, ut rei probavit exitus, ad pravorum detrectationes minus circumspecta. Hæc cum quodam sacerdote Anglico, qui in domo fratrum ejusdem mulieris manebat, devotam habens familiaritatem, honesto zelo multa ei contulerat beneficia. Accidit autem, ut de muliere illa sinistra suspicio oriretur. Sed, quia sermo malus mentem audientium faciliter solet inficere, propter assidua colloquia insonti sacerdoti culpa indicitur. Fratres autem ejus ad magnam familiaritatem, qua sacerdoti conjuncta fuerat, quasi de re certi, supra modum indignati sunt; & furore nimio succensi, dolorem suum dissimulando suppresserunt. Quadam vero die sacerdotem, nihil mali suspicantem, evocant; & assumpto quodam cliente suo, iniquitatis, quam conceperant, conscio, quasi cujusdam rei gerendæ [causa] secum abducunt: cumque remote & longe a domo sua in loca secretiora devenissent, arripientes presbyterum, nihil tale

formidantem, frangunt ei tibias, abscindunt linguam a capite, oculos eruunt; denique, cum ille dolore anxius, linguæ residuum movens, balbutire videtur, invadentes eum, partem linguæ, quam reliquerant, forcipibus extrahentes, iterum abscindunt, & eodem semivivo relicto, in domo cujusdam pauperulæ mulieris ab ipsa susceptus defertur.

[2] [subito sanatur a S. Olavo apparente.] Porro ille tantam expertus crudelitatem hominum, de divina clementia non diffidit: ore tacens, devoto corde efficacius loquitur, quo infirmior, eo fortior & potens, ad gloriosum martyrem Olavum, de cujus meritis tam magna audierat, totis conversus præcordiis, illum sibi in tanta necessitate non deesse. Quo miserior, eo miserabilior, quo magis anxius, eo obnixius eum deprecatur. Sic in oratione & gemitu & contritione cordis persistens, opem Martyris implorare non cessat; miser miseratione dignus. Postero tandem die soporis quiete resolvitur; &, ecce, apparuit ei sanctus Martyr, dicens, se esse Olavum, quem tam devote & obnixè invocaverat: deinde oculos ejus & tibias, & quæque loca saucia blanda manu pertractans, tandem ut ad linguam ejus manum suam misit, radices tanto extraxit conamine, ut nimio dolore coactus, clamorem maximum sacerdos emitteret. Illico post salutarem tactum Martyris tam graviter læso tanta divinæ pietatis ubertas affuit, ut nihil omnino passus videretur: lingua reddita, tibiæ sanatæ, oculi restituti, & loca, siquæ fuerant vulnerata vel læsa, integerrimam recepere sospitatem. In argumentum tamen, quod oculi fuerint eruti, remansit in palpebris cicatrix candida. Legitur hoc idem miraculum in Vita Ms. Ultrajectensi, sed aliis verbis, diciturque accidisse in Dacia; tum S. Olavus non tantum tetigisse presbyteri vulnera, sed unguento etiam, quod in pyxide afferebat, unxisse, addita singulis unctionibus precatione congrua; Dominus meus Jesus, qui claudis gressum præbuit, te sanet. In nomine ejus tibi dico, surge, & ambula &c.

[3] In civitate quadam Russiæ, quæ Holmgarder appellatur, [Incendium imagine Sancti restinctum in Russia: cæca sanata.] contigit, tale incendium subito devenisse, ut totius urbis vastatio videretur imminere: cujus habitatores nimirum * timore resoluti, ad quemdam sacerdotem Latinum, nomine Stephanum, qui in ecclesia beati Olavi ibidem ministrabat, catervatim confluunt, ut in tanta necessitate experiantur beati Martyris [opem,] & certis probent indiciis, quæ de ipso, fama referente, didicerant. Sacerdos autem haud segnis eorum favet voluntati; imaginem ejus arripit brachiis suis; ignibus opposuit. Sed nec ignis ulterius transgreditur, & pars relicta civitatis ab incendio liberatur. Idem etiam narrat Ms. Ultrajectinum, subdens: Propter hoc miraculum hæc civitas post hoc incepit sanctum Olavum martyrem in maxima devotione habere, cujus festum est in die Sanctorum martyrum Felicis & Simplicii, Faustini & Beatricis. De his hoc eodem die XXIX Julii supra nos egimus. Pergit vero Breviarium Nidrosiense:

Contigit in loco, qui Stiklastad dicitur, eo anno, quo beati martyris Olavi basilica novo principatus & pallii vestiretur honore, quod mulier quædam visum recepit, cujus pupilla ab alio infante in pueritia cultelli punctu violata est; & ex illius dolore uterque oculus ad cæcitatem, gravatus est. Sed Martyris interventu, deteresa cæcitate, pristinum lumen se recepisse gaudet.

[4] Apud regiam urbem Constantinopolim celebris est S. Olavi regis & martyris memoria, [Imperator Constantinopolitanus, duce S. Olavo, vincit infideles,] & in civitate eadem in honorem ejus ecclesia fabricata est. Accidit quadam tempestate, ut præfatæ urbis imperator, exercitu collecto, adversus quemdam paganorum regem præliaturus procederet: ordinata utrimque acie & studio militari disposita, bellum inivit. Invadunt Christianos acerrime barbari, & in primo congressu victores existunt.

Occumbit pars maxima Græcorum, & Christiani exercitus robur elanguet. Restabat acies non grandis, quæ nihil aliud præstolabatur, quam mortem. Desolatus imperator, & fere corde dissolutus, ad divinum se convertit auxilium, & beati martyris Olavi opem profusis pariter implorat lacrymis, quem pro justitia pugnantibus frequenter adesse, fama referente, didicerant: vovent, se sub nomine Martyris, & in honorem sanctæ Mariæ Virginis, in urbe regia fabricaturos ecclesiam, si ejus interventu victores remearent. O prælarum & insigne miraculum! Apparet Martyr quibusdam de exercitu, & Christianam aciem signifer insignis præcedit. Horror invadit hostilem exercitum, & metu divino perculsi omnes vertuntur in fugam immanes barbari, quibus paulo ante multus & fortis resistere non valebat exercitus: auxilio Martyris munita persequitur acies non grandis: fit paganorum strages innumera, & multis onusti spoliis victores Christiani revertuntur.

[5] Imperator igitur Constantinopolim regressus, voti, quo se apud Deum & beatum Martyrem obligaverat, non immemor, in honorem Sanctæ Mariæ Virginis ecclesiam construxit: ad cujus opus fabricæ tam devota fuit & prompta populi victoris oblatio; quatenus perfecta ecclesia ingenti, & peractis omnibus, [eique ac Deiparæ templum erigit, & munera Nidrosiam mittit.] quæ ad ejus ornatum erant necessaria, adhuc de pecunia oblata multum superesset. Et quam in his & aliis multis beneficiorum insigniis omnium animus in beati Martyris obsequio devotus exstiterit, multarum pretiosarum, & inde missarum rerum splendore, hæc, in qua ipse requiescit, testatur ecclesia. Utinam imperator, expresso nomine designatus vel hic esset, vel in Ms. Ultrajectino, in quo res eadem, sed aliis adumbrata coloribus exhibetur! Ibi enim S. Olavus ante aciem de cælo sistitur, tamquam rex coronatus, sedens super equum album, bene armatus, habens in manibus suis vexillum cum albo panno, & in uno

latere habens crucem rubeam cum corona plicata tamquam de spinis cum omnibus armis Christi, & in alio latere arma sancti martyris Olavi; [qui] & dixit imperatori: Sequimini me in nomine Jesu Christi, & S. Olavi; & victoriam obtinebitis; quia vocatus adsum &c. Verum huic Ms. passim aperte interpolato, vix est, ubi satis in rerum adjunctis fidas. Quid si miraculum hoc sub imperio Michaelis Paphlagonis militanti Haraldo, S. Olavi fratri, credamus accidisse? Certe id videtur dicendum; nisi vel bis eadem propemodum omnia contigisse velis Constantinopoli, vel falsa de Haraldo narrari ab Islandis apud Torfæum part. 3, lib. 4, cap. 10. Imperasse autem putatur Paphlago ab anno Christi 1034 usque ad 1041.

[6] [Repressum incendium; oculi sanati.] Contigit quodam tempore, civitatem, in qua Sanctus Martyr requiescit, vehementer accendi. Unde ad muniendam ipsam ecclesiam corpus Martyris pro muro ignibus opponunt. Accessit autem quidam satis temerarius; & scrinium Martyris cœpit verberare, minas inferendo, quod totum simul incendio relinquendum esset, nisi solitum monstraret beneficium, & ecclesiam cum domibus adhuc illæsis, suis orationibus custodiret. Ecclesia autem intacta permansit; sed vir ille nocte sequenti gravi oculorum dolore correptus, tandem in ecclesia sancti Martyris precibus salutem recepit. Hoc in solo Breviario Nidrosiensi legimus; quemadmodum & aliud, quod inde subjicio.

[7] [Innocens suspensus, ope S. Olavi implorata,] Rusticus quidam, vir simplex & innocens, a quibusdam potentibus provinciæ illius, in qua manebat, non justitia, sed odii causa, falso latrocinii crimine impetitur, & postposita discussione negans trahitur, & inimicorum præjudicio suspendio addicitur. Cumque anxius & miserabilis in gente perversa nullum, cum oraret, justitiæ locum videret, de humano prorsus desperat auxilio. Unde ad Dei

misericordiam toto se vertebat pectore; & beatum martyrem Olavum obnixius deprecatur, ut innocenti sibi apud Deum precibus pro justitia subveniat, qui nocentes multoties misericorditer a debita pœna suis precibus liberat. Quid plura? Ex adipe prodiit iniquitas eorum: absque mora transiit in effectum: suspendunt insontem suspendio digni. Verum legis scrutator S. Olavus miseretur miserabili; affuit clamanti, pro innocentia justitiam postulanti. Continuo itaque ut a terra levatus est, quasi in visione visus est sibi sanctus martyr Olavus pedibus suis asserem supposuisse; cui innixus, per novem ferme horas illæsus permansit; donec uxor sua & filii a quodam nobili reverterentur, impetrata licentia ut corpus deponerent & sepulturæ commendarent.

[8] [servatur incolumis.] Cumque [laborarent,] ut eum sustollerent; filius ejus ascendit in arborem, cui suspensus adhærebat, quæ ex quodam promontorio alte fixa manebat, cujus summitatem cum prædictus juvenis serpendo attingeret, vibrato ictu, ligamen, quo sustentabatur, præcidit. Quod dum fieret, corpus miserabile in tale præcipitium tendit, ut magis membratim crederetur comminui, quam etiam viventi salus posse sperari. Sed nec casus asperitas, nec eminentia scopuli poterat inferre gravamen, cui pro justitia Martyris meritum præstitit juvamen. Qui statim quasi resolutus sopore, resedit, visionem velut somnium recolens. Cum autem, discedente algore, vigor membris accresceret, & resumpto spiritu paulatim convalesceret; & ad Sancti Martyris limina propere tendit, & rem penes se gestam, & multorum testimonio approbatam, ad laudem Dei, ex ordine, ejus loci archiepiscopo & fratribus (canonicis Nidrosiensibus) exposuit. Hactenus laudatum Breviarium, in illo fragmento, quod solum videre nobis licuit apud Torfæum; ait vero hic etiam, eadem omnia in codice Flateyensi tamquam ex professo enumerari: nec pauca deinde adjici, quæ Sanctus tum vivus, tum

defunctus ediderit. En generis utriusque specimina quædam, quæ quidem fidem aliquam mereri videntur.

[10] Idem quoque loco proxime citato inter defuncti prodigia ex eodem codice hæc refert: [restituta elingui loquela;] Eysteni Ingiique regum Norvegorum temporibus, qui patri Haraldo Gillio anno MXXXVI (imo MCXXXVI, ut infra accuratius notatur lib. 9, cap. 5 & 6) occiso cum fratre tertio Sigurdo Broncho (non tamen omnes simul) in regnum successerunt, quidam, nomine Haldor in Vandalos incidens, lingua per partem gulæ proximam perfossam extracta atque imis radicibus excisa privatus; voto Olafo nuncupato, elinguis imposterum sermonis usum, ut antea, recepit: ei deinde, quoad vixit, in æde sacra ministerium præstitit. Meminit hujus miraculi Snorrius Sturlæus. Mihi sane idem videtur, quod paulo ante Torfæus ex Breviario Nidrosiensi dederat; uti & nos ex Ms. Bodecensi cap. 2, num. 11; licet ibi Slavi, hic Vandali (nam hi sæpe confusi reperiuntur apud auctores Septemtrionales, ut patet ex Historiæ Norveg. part. 3, lib. 4, cap. 7) linguam evellisse dicantur. Quæ vero indidem subdit, nova sunt.

[11] [alia quædam beneficia.] Mulierem præterea Nidarosiæ habitantem, quæ epilepsia singulis mensibus laborans, novum, eumque juvenem, maritum morbum celabat, postquam eum (S. Olavum) una cum B. Virgine invocavit, adque pervigilium candelam obtulisset, jejuniaque a sacerdote injuncta recte peregisset, ab ista peste liberasse traditur.

Rupem quoque in Thelemarchia, cum cives de ædificanda ei lapidea æde consultassent, nec saxa decenti mollitie extarent, cum primum latomus lapidicinam explorasset, sponte ruptam laudatus codex memorat; inde templum levi negotio exstructum.

Puerum etiam in provincia Nidarosiae proxima per biduum errore abreptum, post nuncupata sibi vota, in eo loco, ubi diu frustra quæsitus est, apparuisse.

Virum quoque, qui se malo dæmoni mancipaverat, cum ad templum sibi dicatum ceremoniis interfuisset, ad veram pœnitentiam convertisse. Atque hæc sunt, inquit Torfæus, quæ codex Flateyensis multis memorat, in compendium relata.

[12] [Sancti balteo sanata subito vulnera.] Alia sunt ejus mirabilia, in Historia Norvegica loco non uno sparsa; unde ea præsertim seligo, quæ minus displicent; ut quæ referuntur imprimis part. 3, lib. 4, cap. 7 ex Morkinskinna, qui codex est vetustus Islandicus, sed hic illic interpolatus, ut in Præfatione Historiæ memoratæ dicitur. De hoc ita Torfæus: Tradit enim idem liber, dum Magnus (Sancti filius & Norvegiæ Daniæque rex) in occursum Vandalorum (Daniam infestantium anno Christi circiter 1046) exercitum duceret; Ordulfum (Saxoniae ducem, qui Ulfhildem, S. Olavi filiam, Magni sororem, duxerat) e bello (quodam) domum redeuntem, sauciumque.. in palatio cum aulicis potasse, uxore Ulfhilde a latere assidente; cum derepente vir quidam, pileum Danicum gerens, ingressus, parumque in pavimento consistens, iterum exiens omnibus fuerit conspectus: interrogatam a duce Ulfhildem, num virum novisset, respondisse, ex mystace Patrem suum [videri:] Magnum forte, fratrem suum, auxilio indigere. Ducem vero pollicitum, se cum copiis omnibus, quas bello reduxerat, succursurum, mox edixisse tribunis militum, ut cohortes quisque suas educerent. Illam vero interfatam postulasse, ut vulnera sibi obligari pateretur; debilem nimium [futurum,] ni Deus, Paterque suus sanaret. Inde balteo Patris sui (S. Olavi) admoto, statim dolorem evanuisse. Ducem deinde raptim in occursum Magni profectum, &c.

[13] [Apparet filio, & victoriam spondet:] Narratur ibi deinde Magni de Vandalis numero longe superioribus victoria a S. Olavo, tum ipsi, tum rustico cuidam apparente, promissa, & indiciis asserta cælestibus; sed quia res ibi longius deducitur, placet eam brevius ex Theodrici Nidrosiensis Historiæ cap. 24 describere. Wandali, inquit,.... tunc ... incredibili multitudine advecti sunt in Daciam, operientes faciem terræ more locustarum. Quod cernens Magnus rex, animo consternatus est: nam neque tempus habuit exercitum (majorem) congregandi, nec tutum putabat cum paucis contra tantam multitudinem dimicare; & intolerabile videbatur, vastari regionem in præsentia sui. In hac igitur angustia mentis posito regi fertur nocte subsequente apparuisse beatum Olavum, patrem ejus, & ei monuisse, eum in Deo spem ponere; facile ei esse dare victoriam non minus in paucis, quam in pluribus: oportere eum crastino die ad bellum procedere; Dei miseratione victoriam non defuturam. Hac ergo visione confortatus rex Magnus, in crastinum viriliter processit ad prælium, subsequens vexillum, quod Patris ejus fuerat; tenens manu bipennem ejusdem, quæ ibi confracta est, & modo servatur in Nidrosiensi ecclesia. Major * itaque ruit in hostem; plurimos prostravit, ceteros turpiter, Deo auxiliante, in fugam vertit. Hoc prælium gestum est in loco, qui dicitur Luirscogs Heithr, in Jutia. Vide Torfæum loco citato, & Grammaticum Saxonem sub finem libri decimi, aliosque.

[14] Cum diu Haraldus, sancti Regis ac Martyris frater, [fratrem e carcere liberat:] in imperio Constantinopolitano meruisset, gravi tandem crimine accusatus, in carcerem cum duobus famulis conjicitur; tum vero, ut ex suis monumentis narrat Torfæus part. 3, lib. 4, cap. 11, fertur, cum per plateas eo duceretur, frater ejus S. Olafus ei apparuisse, liberationisque spem fecisse. Verum eadem nocte vidua quædam opulenta, duobus

comitata famulis, scalis ad suprema (carceris altissimi, sed superne aperti) progressa, fune ad ima demisso, singulos, pœnalibus claustris exemisse; idque monitore S. Olafo, quam [dicitur] ægrotantem prius sanasse, tum vero per quietem nostri loco, ut periclitanti fratri subveniret, reposituisse, locumque carceris indicasse. Tum aliquanto inferius additur: In illa platea (Constantinopoli scilicet) qua sanctus Olafus Haraldo apparuit, cum in carcerem duceretur, in honorem ejus sacellum exstructum est, quod auctorum horum temporibus floruit, mansitque in eum diem carceri ab Haraldo deinceps nomen. Hæc mira quidem, sed minus tamen fabulosa videntur, quam quæ de carcere Haraldi Constantinopolitano, ac mirabili evasione vel Saxo Grammaticus, vel alii ibidem citati narrant.

[16] [contractum sanat Londini.] Miraculo, quod supra de Guttormo retulimus, aliud in Kringla connectitur, teste Torfæo ibidem lib. 5, cap. 4 nec scio, inquit, an ad hæc tempora referendum. Tradit enim, contractum quemdam in Gallia, genibus pugnisque repentem, quod digiti in volam essent intorti, sub dio in via quadam dormientem, virum quemdam nobilem se accedentem somniasse, qui, quo tenderet, quæsivit. Villam, quo ire destinavit, profitentem, monuit, ut templum, Olafo Londini sacrum, visitaret. Expergefactus, monitisque pariturus, Londinum petit; delatusque in pontem, ubi templum Olafi esset, sciscitatur. Responso accepto, complura ibi templa, nec, quibus singula consecrata essent, sibi constare; paulo post accessit eum vir quidam, quo pergeret, quærens. Ut Olafi templum peti cognovit, se ducem sequi jussit: nosse enim viam, quæ eo ferat. Transitoque ponte, plateaque templo contigua superata, cum ad portam pervenisset, ducem intrantem ægre secutus, cumque super limina se conjecisset, derepente sanus absque gravamine incessit; dux autem disparuit.

